



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Sect. III. Alia quædam circa spiratione[m] activam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**



SECTIO TERTIA.

Alia quedam circa Spirationem activam.

I. OSTENDIMUS sectione precedente præter tres relations, Paternitatis scilicet, Filiationis, & Spirationis passivæ, dari etiam Spirationem activam, eamque verè & propriè esse relationem. Nunc circa eam duo ulterius inquirenda: primò utrum hæc relatio à Paternitate & Filiatione realiter distinguatur: deinde, casu quo ab iis non sit distincta realiter, dici nihilominus possit ac debeat quarta relatio.

II. Quoad primum, varii de more sunt dicendi modi. Durandus in 1. dist. 13. q. 2. latè ostendere conatur Spirationem activam realiter à Paternitate & Filiatione distingui, octo ad hoc adductis argumentis, quorum tamen nullum ullà ratione probat intentum. Dicendum itaque cum communi Theologorum sententiâ Relationem Spiratoris, seu Spirationem activam à Paternitate & Filiatione realiter non distingui: ita S. Thomas 1. p. q. 32. art. 3. ad 3. quem Thomista omnes sequuntur: Suarez hic, lib. 5. cap. 5. Vasquez 1. p. disp. 138. Alarcon hic, disp. 3. cap. 2. Tanne. 1. p. disp. 4. q. 3. dub. 2. Arriaga hic, disp. 50. sect. 2. num. 4. & alii. Unde P. Suarez citatus, cap. 6. num. 5. ait opinionem realiter distinguentem Spirationem activam à Paternitate & Filiatione esse plus quam temerariam, quia in re gravissimâ à communi Theologorum sententiâ recedit.

III. Spirationem ergo activam à Paternitate & Filiatione non distingui realiter, probatur primò communi illo principio Theologico, ex Conciliis & Patribus desumpto: In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio: Relatio autem Spirationis activæ quæ est in Patre, & quæ in Filio, non opponuntur: ergo nec distinguuntur, sed sunt una realiter relatio. Conclusio est certa, de minore etiam nullum esse potest dubium, Paternitas enim, quamvis opponatur Filiationi, sicut Pater opponitur Filio, utpote quem producit: at uti diximus sectione precedente, num. 7. nec Pater nec Filius, quæ tales, respiciunt Spiritum Sanctum, sicque sub illâ ratione, seu sub conceptu Spiratoris, non distinguuntur. Major verò probatur; quando enim Concilia & Patres dicunt, omnia in divinis esse unum, ubi non obviat relationis oppositio, loquuntur de unitate perfectâ, seu de reali identitate: unde ex illo principio deducunt Theologi tres divinas relationes, esse unam simplicissimam rem, quæ est essentia, quia nimirum cum illâ nullam habent oppositionem.

IV. Probatur secundò: si enim Spiratio activa realiter distinguatur à Paternitate & Filiatione, constitueret cum essentiâ Personam, ergo jam erit in Deo Personarum quaternitas, contra Concilium Lateranense cap. Dammasus. Imò Ecclesia illic damnare intendit omnem omnino in Deo quaternitatem, nam loquitur sine omni restrictione, & solam vult stabilire Trinitatem. Conf. sequeretur enim contra Concil. Later. cap. Firmiter, Personam Patris non esse quid omnino simplex, sed ex pluribus realitatibus compactam.

V. Dices: Paternitas & Filiatio realiter distinguuntur, ergo Spiratio activa necessariò debet ab iis distingui, implicat enim unam eandemque relationem identificari cum duabus realiter distinctis. Sed

contrà: essentia enim, esto una sit & eadem, identificatur nihilominus cum Paternitate & Filiatione: ergo eodem modo cum iis identificari potest Spiratio activa.

Dices secundò: quidni asserere quis possit relationem Spirationis activæ esse duas partiales relationes & coalescere ex Paternitate & Filiatione. Contrà: Paternitas enim & Filiatio non distinguuntur, nisi in quantum opponuntur: sub conceptu autem Spirationis non opponuntur; neque enim Pater, ut sæpe dictum est, Filium sub hac ratione respicit, sed solum sub ratione generantis & geniti: ergo sub ratione Spirantis nec Pater Filio, nec Paternitas Filiationi opponitur, sed tantum Spiritui Sancto, & Spirationi passivæ: ergo sub hoc conceptu non magis sunt in Patre & Filio duæ partiales Spirationes activæ, quam duæ partiales essentia, omnipotentia &c. Requirit quidem Spiritus Sanctus, ut in fine sectionis præcedentis diximus, duo supposita, non tamen sunt duo per Spirationem, quia sub hac ratione sibi non opponuntur.

Dices tertio: si Spiratio activa non distinguatur realiter à Paternitate (idem est de Filiatione) erit vera hæc Propositio, Paternitas est Spiratio activa: eam tamen Theologi communiter, cum S. Thomas hic q. 32. art. 3. ad 3. dicunt esse falsam. Respondetur, si solum procedat objectio in sensu reali, hæc Propositio in rigore est vera, eamque hoc modo concedendam censet Gabriel in 1. dist. 27. q. 1. Molina 1. p. q. 32. art. 3. disp. 2. & alii: sicut enim reipsa est, ita dici potest Paternitas realiter identificata cum Spiratione activâ: sicut, inquit S. Thomas citatus, hæc prædicatio est vera: Scientia est potentia. Quia tamen hæc propositio, Paternitas est Spiratio activa, facit sensum formalem, & de Paternitate & Spiratione activâ procedit, ut virtualiter, vel ratione distinctis, censenda est falsa, sicut hæc & similes, Deus voluntate generat, Intellectu spirat, &c. Unde S. Thomas loco proxime citato, quamvis, inquit, dicamus Scientia est potentia, non tamen dicimus, Attributum potentia est Attributum scientia; quia nimirum jam importantur in sensu formali, & de iis loquimur ut virtualiter vel ratione distinctis.

Dices quartò: Spiratio activa, ut diximus, est realiter eadem cum Paternitate: sed Paternitas non est realiter in Filio: ergo Spiratio activa non est realiter in Filio: ergo non est eadem realiter cum Filiatione, contra hæctenus dicta. Sed contrà, eadem enim formâ argui potest: Essentia divina est realiter eadem cum Paternitate: sed Paternitas non est realiter in Filio: ergo Essentia divina non est realiter in Filio: ergo non est eadem realiter cum Filiatione. Hæc itaque est vulgaris objectio, quæ in Trinitate ubique recurrit, & ab omnibus in variis altissimi hujus mysterii prædicationibus est solvenda: de qua proinde fusè dicendum est infra, dum, quo pacto argumenta contra Trinitatem solvenda sunt, agemus.

Quoad secundum, quod num. 1. hic inquirendum proposuimus, utrum scilicet Spiratio activa, cum à Paternitate & Filiatione realiter non distinguatur, vocanda nihilominus sit quarta relatio: Gabriel in 1. dist. 17. q. 1. & Gregorius in 1. dist. 26. q. 1. absolute affirmant Spirationem activam non esse dicendam quartam relationem, ac proinde non quatuor, sed tres tantum esse in divinis relationes reales. Quorum sententiam non improbabilem censet Suarez hic, lib. 5. cap. 7. num. 3. & alii.

Et sanè,

Duo circa spirationem activam hic querenda.

Spiratio activa à Paternitate & Filiatione realiter non distinguitur.

Probatur spirationem activam à Paternitate & Filiatione non distinguui.

Concilia & Patres loquuntur de perfectâ unitate.

Si spiratio activa realiter distinguitur, erit in Deo Personarum quaternitas.

Non repugnat spirationem activam identificari cum duabus realiter distinctis.

VI. Spiratio activa est una simplex relatio, non duæ partiales.

Pater & Filius in ratione spirationis sibi non opponuntur.

VII. Sine vera hac prædicatione, Paternitas est spiratio activa.

Scientia in Deo est potentia.

Attributum scientia non est attributum potentia.

VIII. Objectio, Paternitas non est realiter in Filio, ergo Spiratio activa non est realiter in Filio.

IX. Negant ab illis qui spirationem activam dicendam esse quartam relationem.



X. Dicitur potest spiratio activa quarta relatio.

Et sane, certum est non dari in Deo quatuor relationes realiter distinctas, cum Spiratio activa, ut dixi, à Paternitate & Filiatione non distinguatur realiter. Quæstio itaque solum esse potest de modo loquendi: cum verò S. Thomas, & cum eo Theologi omnes, præter Gabrielem & Gregorium, hoc modo loquantur, cum illis dicendum dari in Deo quatuor Relationes reales, non quod sint quatuor res, etiam relativa, nec quatuor realitates, cum Spiratio activa realiter à Paternitate & Filiatione non distinguatur. Ad hoc tamen ut censetur quarta relatio, sufficit

Quomodo in Deo sint quatuor relationes reales.

quod respiciat diversum terminum, nempe Spiritum Sanctum, quem Paternitas & Filiatio, quales, non respiciunt, quod sufficit, ut vel virtualiter, vel ratione ratiocinata ab iis distinguatur? Sicut ob similem rationis distinctionem dicuntur dari in Deo plures Idea, & Idea leonis esse diversa ab Idea aquilæ: Sicut itaque ob diversos terminos dicuntur plures Idea, ita in præsentibus plures termini sufficiunt ut censentur diversi respectus, seu relationes, licet omnes à se invicem non distinguantur realiter, sicut ibi non distinguuntur realiter Idea.

Sicut diversi termini multiplicent Ideas, ita etiam multiplicent respectus.

# DISPUTATIO LIII.

## De distinctione relationum divinarum ab essentia.

Supra Diss. 5. sect. 6. & sequentibus latè questionem illam discussi, utrum scilicet inter predicata Dei intrinseca absoluta, Iustitiam, Misericordiam, Intellectum, Voluntatem, &c. detur à parte rei, & ante operationem intellectus, actualis aliqua distinctio: questionem verò de distinctione Relationum ab Essentia huc remisi, utpote quæ difficultatem contineat ad hanc materiam peculiariter spectantem.

### SECTIO PRIMA.

Utrum ante operationem intellectus, actualis aliqua detur inter Relationes & Essentiam distinctio.

I. Gilbertus Porretanus Relationes ponebat realiter ab Essentia distinctas.



PRIMA sententia, vel error potius, est Gilberti Porretani Pictaviensis Episcopi, qui inter Relationes divinas & Essentiam, realem posuit distinctionem, ut colligitur ex actis Concilii Rheimensis, ubi refertur asseruisse Gilbertum tres proprietates, quibus Personæ distinguuntur, esse tres res æternas, & ab invicem, & ab Essentia numero distinctas. Unde S. Bernardus, qui huic Concilio interfuit, serm. 80. in Cantic. & lib. de Consideratione Gilbertum impugnat, veluti quaternitatem in Deo statuentem. Quare S. Thomas, hic, q. 28. art. 2. Corp. S. Bonaventura, Halensis, & alii Gilbertum aiunt Relationes non intra Essentiam statuisse, sed ei assistentes, & extrinsecus affixas.

II. Durandus non multum distat à sententia Gilberti.

Nec multum ab hoc errore distat Durandus in 1. dist. 33. q. 1. ubi ait actuale dari distinctionem in divinis inter Relationem & Essentiam ante omnem operationem intellectus, non quidem tantam, quanta est inter rem & rem, & qualem ponebat Gilbertus; sed qualis esse solet inter rem & modum: hæc tamen verè est realis, ergo realem posuit Durandus inter Relationem & Essentiam distinctionem: imò eam vocat realem.

III. Personalitas divina non est realiter distincta ab Essentia.

Fide tamen certum est Personam divinam ex duobus realiter distinctis non constare, & consequenter Relationem ab Essentia realiter non distinguui: ita Theologi omnes contra Gilbertum & Durandum. Probatur primò ex Concilio Late-

ranensi, ubi Cap. Damianus definitur, non esse in Deo quaternitatem: esset autem quaternitas, si tres Relationes, quæ secundum fidem inter se realiter distinguuntur, realiter etiam distinguerentur ab Essentia. Deinde hæc doctrina contraria est communi, & à Theologis omnibus recepto axiomati, quodque ex Concilio Florentino & aliis est desumptum, nempe in divinis omnia esse unum, ubi non obviat Relationis oppositio. Quare, cum in Concilio Rheimensi Gilberti sententia fuisset damnata, ipse se Patrum illius Concilii, & Ecclesie iudicio submisit, erroremque suum humiliter retractavit, sicque hæreticus non est censendus.

Esset in Deo quaternitas.

Gilbertus sententiam suam retractavit.

Probatur secundò nullam distinctionem realem inter Relationes & Essentiam intercedere: si enim Deus constet ex tribus vel quatuor realiter distinctis, erit verè compositus: compositio quippe nihil aliud est quàm distinctorum unio, & talis est compositio, qualis est distinctio: ergo ubi est distinctio realis, compositio similiter erit realis, sicque totum inde resultans, non erit quid simplex realiter, sed verè & propriè compositum. Si verò unio inter Relationem & Essentiam non intercedat, Persona divina erit quoddam aggregatum, quod Deo adhuc multò est indignius.

IV. Deus in illa sententia non esset simplex, sed compositus.

Quare Patres Concilii Rheimensis hæc contra Gilbertum definirunt, Personam scilicet esse divinam substantiam, & Deum, & Dei tamen Relationem etiam esse Deum; præterea tres Personas esse unam divinitatem, & unamquamque proprietatem esse Deum. Videatur Baronius tomo duodecimo, anno 1148: & Vasquez hic, disp. 126. Quam horum Patrum definitionem etiam Eugenius tertius, summus Pontifex, qui tum Rhemis aderat, noluerit haberi tanquam regulam fidei, quod ipso, & Cardinalibus, qui tunc cum Pontifice Rheimis etiam erant, inficis & incon-

V. Quia in Concilio Rheimensi contra Gilbertum sint definitæ.

sultis